

Athenis in colle Musarum, qui est e regione arcis, in monumento trium aedicularum, quarum duae (cum titulis 1. 2. 3) hodie quoque extant, tertia visa a Cyriaco extabat saeculo XV (III 532. C. I. Gr. 362. C. I. Att. 3, 337). Dicitum fuit monumentum, teste Pausania 1, 28, 6 homini alicui ex Syria, scilicet ei sub cuius statua legebatur titulus 5 et ad quem pertinebant nisi fallor etiam tituli 2 et 4 iuxta positi ab utraque parte aediculae mediae; videtur enim his tribus titulis idem homo nominari, in t. 3 more Atheniensi, in t. 2 more Romano, in t. 4 more domus regiae ex qua erat oriundus. Fuit autem oriundus, ut viderunt multi, ex stirpe regum Commagenes, filius Epiphanis sive regis Epiphanis (regem eum appellat Tac. h. 2, 25), memorati a Tacito l. c. et a Iosepho ant. 19, 9, 1. 20, 7, 1. bell. 7, 7, 1—5, nepos Antiochi qui ultimus, a Claudii temporibus usque ad a. p. Chr. 72, regnum Commagenes tenuit (cf. Mommsen Mitth. des arch. Inst. in Athen I p. 36 seq.). Idem est Philopappus memoratus a Plutarcho quaest. symp. 1, 40, 1. Idem posuit titulum nuper rep. Lycosurae in Arcadia (Αρχαιολ. Δελτιον 1890 p. 45) ubi appellatur Βασιλεύς Ἰούλιος Ἐπιφανῆς Φιλόπαππος. Eidem positus est Athenis C. I. Att. 3, 78 (cf. praeterea C. I. Att. 3, 758d. 1020). Regis vocabulo ei licuisse uti notabile est. — T. 1 videtur spectare ad Antiochum avum Philopappi (cf. supra), t. 3 ad Seleucum notissimum regem Syriae, a quo per Laodiceam Antiochi Grypi filiam descendent reges Commagenes (cf. Mo. l. c. p. 27 et stemma propositum ib. p. 59). Ceterum vix potest dubitari quin Philopappus extracto hoc monumento imitari voluerit atavum suum Antiochum, temporibus Luculli et Pompeii regem Commagenes, qui monumentum in Tauro monte extractum status titulisque maiorum suorum exornavit (Puchstein Sitzungsber. der Berl. Akad. 1885 p. 49; Humann et Puchstein Reisen in Kleinasien u. Nordsyrien p. 252 seq.). — 1) De tribu Fabia cf. ad N. 844 not. 1. — 2) Traianus cum appelletur Optimus, non appelletur Parthicus (cf. supra N. 293. 297), titulus incisus est inter annos 114—116.

846 Sitalces divi | Augusti | opses Thracum. |
 Iulia Phyllis, | soror eius.
 Romae (VI 26608 descripsit Bormann).

847 Staio Esdragass. f. Voben.¹ | principi Trumplinorum, praef. |
 [c]ohort. Trumplinorum | [s]ub C. Vibio Pansa² legato pro | [pr., ite]m³
 Vindol., i[m]munis Caesaris | et suis. Messava Veci f. uxor.

Bovegni in valle Alpina Trumplinorum (Val Trompia), supra Brixiam, rep., est Brixiae (V 4910 vidit Mommsen). — Trumplini memorantur inter gentes Alpinas devictas ab Augusto in inscriptione Tropaei Alpium facti a. 747 vel 748 (Plin. h. n. 5, 156). Hic titulus pertinet ad principem aliquem eius gentis, auxiliis gentis suae a Romanis praepositum, et insuper ab imperatore immunitate (a tributis puto) donatum. — 1) Pagum aliquem Trumplinorum significari putat Mo. — 2) C. Vibius Pansa non potest esse is, ut adnotat Mo., qui periit in consulatu a. 711, sed fortasse filius eius praeterea ignotus. — 3) Supplevit Mo.

848 M. Iul. Cott[i] reg.¹ | l.² Paris t. f. i.³ | sibi et | M. Iul. Eleuthero
 l. | e[t] Iul. . . . asilae | p.